

DE

CATHEDRA ROMANA

B. PETRI PRINCIPIS APOSTOLORUM

ORATIO

HABITA IN BASILICA VATICANA

XV. KAL. FEBR. ANNO MDCCCLIV.

AB ALOISIO OREGLIA E DYNASTIS A S. STEPHANO

AB AUG. VAGIENNORUM IN SUBALPINIS

SARDINIAE REGI A PIIS LARGITIONIBUS AD HONOREM

EX PONTIFICIA ACADEMIA

NOBILIUM ECCLESIASTICORUM



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA BERNARDI MORINI

PIO IX.
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

ALOISIUS A S. STEPHANO
FELICITATEM

Oratiuncula haec mea, Pater Beatissime, incompta sane et impolita, oblivioni potius mandanda, quam Tuis oculis subiicienda, et Tuo Nomine

ornanda esse videretur. Sed longe aliud mihi persuadet nativa illa benignitas Tua, quam omnes in Te suspiciunt, ac diligunt quotquot Tuo adloquio, vel minimo temporis articulo, frui potuerunt. Tanta enim est, ut non solum neminem dedignetur, sed omnes peramanter excipiat. Accedit quod oratio haec mea de laudibus Cathedrae Beati Petri per varias in Romanam Sedem pugnas, totidemque eiusdem Sedis triumphos, eos praesertim, qui nostra vel patrum memoria contigerunt, discurrens, genuinam simul gloriosi Pontificatus Tui sin minus historiam, at sane imaginem quamdam exhibeat. Dum autem

mihi ipse gratulor, et gaudeo, hanc mihi oblatam occasionem, qua observantiae et reverentiae in Te meae aliquod tenue sane, at aliquod tamen exstaret monumentum, rogo Te et obtestor, ut benigne et clementer id excipias, simulque mihi ad Tuos Pedes humillime provoluto, et meis sodalibus omnibus, qui una mecum Ecclesiasticam Academiam Tua munificentia restitutam incolunt, Apostolicam Benedictionem concedas.

ORATIO

Etsi multa sunt, Beatissime Pater, quibus non mediocriter de Romana Beati Petri Cathedra in amplissimo orbis terrarum consessu verba facientem, necesse est commoveri; ne tamen actum agere videar, unum excitabo Gregorium, cui Magno cum admirabilis sanctitas, tum sanctitati non impar doctrina et praeclarissima in rem christianam merita cognomentum indiderunt. Hic igitur Pontifex,

et Doctor egregius non semel, sed saepius docuit, inconsideratissimae temeritatis, et arrogantiae notam effugere nullo modo posse, si quis parabolas evangelicas interpretandas assumat, quas ipsa Dei Sapientia, quamdiu cum hominibus conversata est, verbis apertissimis enucleare non praetermisit. Atqui non aliud de Romana Beati Petri Cathedra ferendum esse indicium decernemus, scilicet argumentis omni luce clarioribus ab ipsa Dei sapientia nullo non tempore constabilitam et confirmatam fuisse. Ineptus omnino sim, vel potius insigniter impudens, si velim in tanta hominum doctissimorum frequentia longam Theologorum seriem contexere, qui diserte testati sunt, Deum ipsum Romanae Cathedrae vindicem ac laudatorem fuisse. Haec cum animo reputarem, cumque per eos, quorum nutu me totum pendere aequum est, mihi integrum non esset hoc dicendi onus defugere, non alia ratione vel arrogantis, vel parum morigeri notam declinare me posse existimavi, quam si Romanae Cathedrae causam Deo ipsi perorandam committerem. Quapropter Romanae Cathedrae perennitatem ostendere aggrediar ex ipsis eventis, quae nostra vel patrum memoria contigerunt. Quod cum ita sit, Te, Beatissime Pater, non solum non invito, sed, quae Tua est humanitas, etiam mihi favente, parvum veluti lumen illo de lumine accendam quo providentissimus rerum omnium moderator Deus tenebras a nefariis hominibus veritati offusas discutiens atque disiiciens, non verbis, sed factis omni luce clarioribus docuit apertissime, quidquid inferorum portae moliantur, id non ad labefactandam, sed ad confirmandam Petri Cathedram pertinere.

Quisquis paullo attentius secum ipse consideret bellum adversus hanc arcem Catholicae Religionis hoc ipso saeculo illatum, haerebit animo anceps, utrum potius admiretur in Ecclesiae hostibus impietatem plane incredibilem, an stultitiam singularem. Et sane, ut nefarii homines in animum inducerent se hanc Petri Cathedram suis e fundamentis posse convellere, necesse erat existimarent, cum Christus Dei virtus, Deique sapientia verbis luculentissimis professus est se super Petrum aedificaturum Ecclesiam suam, adversus quam

nunquam foret ut inferorum portae praevalerent, aut deceptum, aut deceptorem fuisse. Hoc autem quid magis impium cogitari, aut dici potest? Sed non minori stultitia laborare dicendi sunt, qui Petri naviculam iam duodeviginti saecula inter fluctus turbulentissimos, et saevissimas tempestates incolumem, demergi aliquando posse crediderunt. Verum stultissime id sibi dementes homines persuasisse, et verba, quae de Christi labiis processerunt nunquam irrita factum iri, ipsa Dei providentia, quae sapientissime cuncta moderatur et regit, argumentis sole ipso clarioribus comprobavit: et quamquam consilia Domini venerari praestat, quam temere investigare, tamen res ipsa, meo quidem iudicio clamat, Deum cum impiis, et amentissimis homuncionibus se ita gessisse, quemadmodum nobis Ecclesiastes vel praecepit, vel suasit, nempe respondendum esse stulto iuxta stultitiam suam.

Et re quidem vera triplici potissimum armorum genere instructos video Romanae Cathedrae hostes ad eam impugnandam, et si fieri potuisset, funditus labefactandam, accessisse: nempe primum aperta vi, tum falsi nominis scientia, ac tandem fucata quadam cultura, et in universum genus humanum benevolentia, cui nomen indiderunt Philanthropiam, ut liquido constaret nihil ei commune intercedere cum ea charitate, qua homines in Christo complectimur. Quorsum vero spectarent hominum nefariorum consilia, latere arbitror neminem. Vis enim eo pertinebat, ut ipsam Cathedram Apostolicam everterent, atque delerent: ignorantiae vero, atque inscitiae crimen ab hominibus vana scientia inflatis ideo Cathedrae Apostolicae obiiciebatur, ut eius doctrinam, atque ipsum docendi ius in discrimen adducerent; deuique politiori, quam diximus, cultura, et humanitate, lucem atque splendorem Ecclesiae Catholicae obscurari, atque offundi posse, vanissimi homines non confidebant solum, sed apertissime praedicabant. Haec homines nefarii, atque immemores non esse prudentiam, non esse consilium contra Dominum. Id autem quo manifestius pateret, conatibus eorum non continuo restitit Deus, sed quamquam inauditis sceleribus lacessitus tam diu homi-

num perditissimorum furorem debacchari passus est, ut imminens Religionis Catholicae, vel, ut eorum verbis ntar, Romanae superstitionis funus laeti ovantesque iactarent. Verum hominnm furore amentium sacrilegas voces, et spes fallacissimas irridebat qui habitat in coelis, quique Ecclesiae, quam acquisivit Sanguine suo, usque ad consummationem saeculi ita se adfuturum promisit, ut nequo vi, neque dolo expugnari aliquando possit, sed totidem sit enumeratura triumphos, quot praelia.

Sed quamquam Petri Sedes plurima exitu felicissimo bella pugnavit, et hostes innumeros, Deo iuvante, profligavit, atque protrivit, vere tamen mihi videor esse dicturus, brachium Domini in hac Sede conservanda atque augenda, nunquam evidentius quam in bello, quo de agimus, affulsisse. Revocate, quaeso, in memoriam magnam illam rerum conversionem, quae saeculo superiore ad finem vergente totam commovit Europam, sed praecipue genti Gallorum nobilissimae extremam perniciem minitata est. Horret animus meminisse quid catholica illa Natio per libertatis speciem oppressa iugo durissimae servitutis, a teterrimis quibusdam monstris atque portentis, verius quam hominibus pertulerit. Quibus cum esset propositum omnia divina atque humana miscere, arbitrati sunt se per vim consequi posse, quod frustra Ianseniani et rabulae civili potestati plus aequó abblandientes astu et dolis aggressi fuerant. Itaque primum omni qua poterat ope connixa est nefaria illa tyrannorum manus Episcopos universae, qua patet, Galliae ab Sedis Apostolicae communione avellere, atque distrahere. Sed impium consilium, licet callidissime excogitatum dissipavit Episcoporum et Cleri universi fortitudo, qui iacturam potius bonorum, carceres, exilia, mortemque ipsam aequo animo subeundam, quam Petri Cathedram, unde omnis manat Episcopalis auctoritas, sibi deserendam putarunt. Tnm vero apertam in rabiem verti coepit coniuratorum furor, probe intelligentium, tantam animi magnitndinem non aliunde vires accipere, quam ex amore, atque obsequio in hanc Petri Sedem, quae fratres confirmare ex Christi Servatoris praecepto pergebat. Quum ergo viderent, quamdiu arx ista

munitissima Catholicarum gentium stabilis permaneret, nihil se in proposito Religionis Catholicae evertendae posse proficere, quid amplius restat, aiebant homines furiosissimi, nisi ut evertamus hanc Petri Cathedram, sceptrum confringamus, et Petri Successorem suis e sedibus avellamus? Agite porro, stultissimi homines, vinculis et catenis compescite Pontificem iam senio et curis confectum, ex carcere in carcerem traducite, neque ullam illi requiem concedite, dum contumeliis atque omne genus opprobriis magis quam senio et morbis confectus occumbat. Qui habitat in caelis irridebit vos, nec aliud vestra crudelitas consequetur, quam ut eius Pontificis, qui hac ex Cathedra gentes universas docebat, quique vos ipsos ad saniora consilia revocabat, falli nesciam auctoritatem, et inexpugnabilem animi magnitudinem luculentissime comprobetis. Et sane gens illa nobilissima, cuius ex animo Ianseniani primum, tum Gallicani, et Regiae potestatis assentatores, ac tandem nefariorum sophistarum grex omne obsequium in Romanam Cathedram evellere contenderat, in captivo Pontifice martyris dignitatem mirata est: atque indignata sibi tam diu fucum factum esse, non tulit, se tam nefariae crudelitatis veluti instrumentum esse, et, nequissimis tyrannis a sua cervice depulsis, Romanae Cathedrae arctius quam antea copulata est.

Atque utinam, qui ad Catholicae Religionis damna per Galliam reparanda tantum subsidii contulerat, in eadem semper voluntate mansisset! Sed vix aliqua spes quietis et pacis affulserat cum iterum ad arma Romana haec Sedes vocata est. Hinc primum instaurari coepta sunt doctrinae capita Pontificiae auctoritati maxime infensa: tum bellum adversus hanc Cathedram renovatum, non minori sane crudelitate quam paucos ante annos exarserat. Speraverat nempe vir immensa quadam potentia fretus, se Petram Ecclesiae ad Sabatia saxa allisurum. Sed contra omnino accidit, atque ille animum induxerat. Nam lapis ille probatus, angularis, super quem cecidit, hunc ex Isaiae vaticinio confregit, atque contrivit. Haec autem Petra Ecclesiae non modo nihil detrimenti passa est, sed maiori quam

antea splendore coruscavit. Quae cum ita sint, quod de Romana olim gente affirmatum est, id multo verius de Romana Petri Cathedra dixeris, nimirum hanc integra cum laude hostes suos iam victoria gestientes proruere, et per damna, per caedes ab ipso ducere opes, animumque ferro.

Et sane tam laetae, atque inexspectatae victoriae nova lux ne ipsos quidem Romanae Sedis latere potuit hostes infensissimos, licet iracundia caecos: qui propterea aliam sibi rationem in oppugnanda Romana Petri Cathedra ineundam esse existimarunt. Ac primum quidem, cum nullius laudis haec aetas sit expetentior, quam scientiae atque doctrinae, nullum non moverunt lapidem, ut Romanae huic Cathedrae, eiusque veneratoribus ignorantiae atque inscitiae notam inurerent. Itaque initae adversus Ecclesiam coniurationis duces, non ferro, et armis, aiebant, adversus Catholicos gerendum est, sed opprimamus eos sapienter. Philosophia nunc usus est, atque doctrina. His veluti alis opus est nosmetipsi in sublime attollamus: tum demum licebit Catholicorum turbae dexteram blande, atque amice porrigere; tum denique suadebimus, Ecclesiae Catholicae sectatores in supina quadam omnium rerum ignoratione versari; tum denique efficiemus, ut populi a magisterio, atque doctrinis Romanae Sedis, quas tamquam caelo demissas osculantur, catervatim desciscant. Egregium certe inventum, in quo tantopere fidebant Romanae Cathedrae hostes, ut eam rebus iam mortuis, et iure mortuis connumerandam dictitarent. Et erat sane cur non immerito sibi rem ex sententia cessuram existimarent, nisi eorum consilia irrisisset qui habitat in caelis, quique inferorum portas nunquam adversus Ecclesiam praevalituras esse promisit.

Ergo tota passim Europa, sed apud Germanos, Gallosque praesertim, nihil aliud fere crepabant famosi quidam doctores, nisi tenebras ab Romanis Pontificibus veritati dedita opera offusas, quo facilius homines suo mancipatos obsequio retinerent. Hinc ad fabulas amandatum vidimus quidquid naturae ambitum praetergreditur: hinc certissima quaeque Fidei Catholicae dogmata inter mythos, aut placita delirantium philosophorum connumerata: hinc philosophiam,

non, ut aequum postulat, Theologiae ancillari et obsequi, sed leges, et iura praescribere: hinc probatissimas Patrum, atque clarissimorum de schola Theologorum, Thomae praesertim, doctrinas vidimus veluti nugas, tricasque hominum malo ingenio, atque otio abutentium traduci. Denique eo usque temeritatis ventum est, ut Romanam Cathedram veritatis magistram iuberent ab impudentissimis nebulonibus prima ipsa rudimenta Religionis addiscere. Verum quo tandem nova haec sapientia reciderit, nunc paucis accipite. Ex sophistarum Gallorum schola prodierunt adolescentuli, qui nihil aliud scirent nisi de rebus omnibus, licet evidentissimis, esse dubitandum: Germanorum autem sophistarum nebulosae doctrinae putidissimum, ut aiunt, Pantheismum progenuerunt, vel philosophiam quamdam nubes et inania captantem, cuius dogmata nihil sunt, nisi verborum ambages, nulla prorsus notione subiecta. Etsi autem neque apud Italos defuerunt ingeniosissimi homines, qui peregrinas has merces apud nostrates inveherent, et exquisitis verborum phaleris et lenociniis ornarent, potuerunt illi quidem imperitos fallere, non vero cordatos homines, et vera sapientia imbutos, qui novae huiusce sapientiae magistros esse introrsus turpes, speciosos pelle decora, et novas, quas tradiderunt doctrinas risu potius explodendas, quam ratiocinationibus refellendas esse, docuerunt.

Qua quidem ignominia haud scio, an poena ulla excogitari potuisset accommodatior ad frangendam hominum superborum audaciam, qui Petri magisterium in sua Cathedra adhuc viventis, et praesidentis contempserant. Quod si plerisque novae huiusce sapientiae magistris non admodum profuit hoc supplicium divinitus irrogatum, at populis, quos per vanam philosophiam deceptos a semita veritatis abduxerant, certe accidit fructuosissimum. Cum enim viderent quo tandem caderent promissa philosophorum, nempe pro luce, quam pollicebantur, glomerari densissimas tenebras, oculos iterum ad hanc Sedem germanae sapientiae magistram converterunt. Ut autem gentes illae confestim errorem agnoscerent suum, et ad hanc Sedem confugerent, aliis quoque causis oppido gravissimis ur-

gebantur. Nemo enim ignorat, ex effreni illa, qua de loquimur, cogitandi licentia, monstra esse progenita, quae per speciem humanae societatis redintegrandae, et in communionem felicitatis omnium hominum adsciscendorum, unde etiam nomen acceperunt, humanam revera societatem ad interitum et ad perniciem vocabant. Adversus teterrima haec monstra in una Petri Sede validum esse praesidium vel ipsi scriptores non optime de Religione sentientes coacti sunt confiteri. Nemo igitur mirabitur, et Galliam Ecclesiae Ministris iuventutem suam pietate, ac litteris informandam commisisse, et Germaniam, Kantio, Fichteio, Hegelio, atque aliis id genus tenebrionibus valere iussis, ut magistros revereri concionatores Catholicos, et avidissimis auribus accipere eorum doctrinas, non alias profecto, quam quae a Romana hac Petri Cathedra, integerrima veritatis custode, traduntur. Caecus plane sit oportet, qui non aperte perspiciat, providentia Dei singulari factum esse, ut quod ad hanc Petri Cathedram labefactandam fuerat excogitatum, hoc ad eam firmius constabiliendam contulerit plurimum.

Neque vero feliciori exitu pugnatum est fucata illa, quam diximus, in genus humanum benevolentia, quam Ecclesiae hostes experimento edocti, neque vim, neque inanem philosophiam adversus illam valere, veluti extremum telum, nostris hisce temporibus, contorserunt. Ut autem in hanc veluti arenam descenderent, et omnigena Catholicae Charitatis exempla sibi aliqua ratione ad imitandum proponerent, eos necessitas compulit, non voluntas. Nam quidquid perditi homines molirentur magna eruditionis atque doctrinae pompa ut Religionem Catholicam everterent, videbant vel ab indoctis hac una animadversione dissipari, nempe ex fructibus arborem posse cognosci. Hoc tam perspicuo Christi Servatoris documento instituti vel homines illiterati ac rudes philosophorum cavillationes, et sophismata repellentes: facessite hinc, aiebant, cum vestra impietate atque stultitia. Egone ut ab illa religione unquam desciscam, quae tot ac tantarum parens est altrixque virtutum? Et sane quem non moveat invicta tot martyrum in acerbissimis cruciatibus

perferendis constantia? Quem non tangant tot religionis, virtutisque causa institutae sodalitates, et tanta inter homines ingenio, natione, studiisque dissimillimos consensio atque concordia? Quis Catholicorum Sacerdotum ardorem Divinae Gloriae amplificandae non admiretur, quo uno incitati durissimas peregrinationes, et labores vix humanis corporibus tolerabiles adire non dubitant, ut barbaras gentes Christo lucrifaciant? Cuius autem eloquentia tanta est, quae pro meritis laudet, aut virgines lectissimas se se in aetatis flore aegrotorum curae devoventes, aut sodalium a Doctrina Christiana tradenda nuncupatorum in puerili institutione labores plurimos? Huc addite, si placet, et profusam Catholicorum bene multorum in egenos liberalitatem, et pacem a Romanis Pontificibus toties inter Christianos Principes conciliatam, et servitutem a Catholica Religione mitigatam primum, ac tandem penitus, tota qua patet Europa, deletam. Haec atque alia innumera in societatem profecta beneficia, quae Romanae huic Sedi accepta maximam partem referenda sunt, nonne referunt eum, qui pertransibat benefaciendo et sanando omnes?

His aliisque Catholicorum argumentis Romanae Cathedrae hostes lacessiti, et ad desperationem redacti, videte, quaeso, quo se tandem receperint. Invictae martyrum Christianorum fortitudini opponunt sicariorum audaciam contra rempublicam coniurantium. Pro sodalitatibus hominum, quos virtus atque religio consociavit, phalansterion nescio quod ex profligatissimis hominibus coalescens excogitarunt. Ut Sacerdotum Catholicorum in sacris expeditionibus adeundis constantiam aemularentur, egentes ministros de Calvini aut Lutheri grege, magnis propositis praemiis, ad corrupta Bibliorum volumina inter Catholicos nullo suo periculo disseminanda perpulerunt. Quas vero foeminas lectissimis virginibus de Vincentii Pauliani schola se se aegrotorum curae eximia charitate mancipantibus, quas, inquam, foeminas hostes generis humani suffecerint, etsi luctuosissimis temporibus Roma spectavit, cum loci sanctitas, tum vester conspectus me non admonent solum, sed plane iubent silentio praeterire. Institutioni sodalium a Christiana Doctrina tradenda, qua quidem

institutione nulla est ad opificum liberos pietate ac litteris imbuendos accommodatior, nova venalium magistrorum disciplina supposita. Ad egenorum inopiam levandam coeptum est nostra aetate saltationibus et choreis, aut productis seram in noctem conviviis, symbola data, indulgeri. Inducias et foedera ob Divini Numinis reverentiam firmata exceperunt conventa otiosorum hominum de pace inter Europae gentes retinenda. Denique illis prope innumeris, qui captivorum aerumnas omni qua potuerunt ope solati sunt, successerunt homines de Aethiopibus servituti eximendis aliquantulum fortasse solliciti, verum de libertate regibus auferenda multo sollicitiores.

Verum haec, aut alia nostrae aetatis inventa non modo Catholicae charitatis decora obscurare nulla ratione potuerunt, sed eius necessitatem potius apertissime comprobarunt. Nam, ut mitissimo utar vocabulo, quid aliud sunt haec inventa nisi ingeniorum evanescentium ludibria, quae imperitis fortasse fucum faciant, sed cordatis hominibus risum debeant? Et sane rident Catholici, et merito quidem rident protestantium ardorem terras et maria ad Biblia in vulgus spargenda concursantium; at Catholicorum Sacerdotum constantiam in extremis Tonchini et Cocincinae oris exquisita supplicia fortissime tolerantium satis mirari non possunt. Rident choreas, et convivia beneficentiae causa agitata, et homines lascivientes, aut epulis se se ingurgitantes ad pauperum inopiam levandam: sed aperto perspiciunt, non in hac recenti, quae tantopere praedicatur, philanthropia, sed in una catholica charitate praesidium esse egentibus, aegrotis, lue tactis constitutum. Rident, vel, ut verius loquar, vehementissime perhorrescunt et exsecrantur sceleratos martyres non suae vitae prodigos, sed innocentium sanguine redundantes. Huc demum evaserunt impiae factionis adversus hanc Petri Sedem conatus. Miram quamdam beatitatem Religionis Catholicae hostes, deleta hac Petri Cathedra, pollicebantur mortalibus. Verum singulari Dei providentia factum est, ut nulla mortalibus, nisi in huius Cathedrae magisterio iam spes salutis affulgeat. Etsi autem Dei providentia singularis in Petri Sede tutanda adversus hostes infensis-

simos nullo non tempore enituit, numquam tamen, quod mihi demonstrandum proposueram, luculentius eluxit, quam in eo bello, quod aetate hac nostra gestum est.

Id autem sin minus pro rei gravitate, certe quoad ingenii exiguitas et mea in dicendo imperitia ferebant, cum satis apertum fecerim, nihil reliquum est, nisi ut ad illos orationem convertam, qui nova adversus hanc arcem Religionis Catholicae bella moliuntur. Utinam stulti homines aliquando saperent, et intelligerent, se frustra divinae obsistere voluntati, et durum esse contra stimulum calcitrare; non esse sapientiam, non esse prudentiam, non esse consilium contra Dominum: quidquid excogitent, quidquid moliantur inferorum portae, nunquam adversus Ecclesiam fore praevalituras! Aequum sane fuerat Ecclesiae hostes sin minus credere Evangelio, at saltem historiae testanti, nihil Romanorum Imperatorum potentiam adversus Ecclesiam valuisse, sed sanguinem martyrum semen factum esse Christianorum. Sed quoniam tam apertis historiae monumentis refragati sunt, ne diutius animum obfirment, sed suis saltem oculis credant, neque vi, neque dolis hanc Petri Sedem convelli, aut labefactari posse.

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni O. P. S. P. A.
Magister.

IMPRIMATUR

Antonius Ligi-Bussi Archiepiscopus Iconiensis
Vicesgerens.

